





1. Banzer, Marcus: De scorbuto. 1648.
2. Banzer, Marcus: Controversiarum Medico-Miscel.
Lancranum Decas II. 1648.
3. Coselius de Pylinoerz, Heinrich: Enodationem leg. XXIV,
XXV, XXVI. tit. pand. postremi... subiciet. ... 1648.
4. Coselius de Pylinoerz, Heinrich: Enodationem leg. XXIII.
tit. pand. postremi tit. 4. subiciet. ... 1648.
5. Coselius, Heinrich: De testamentis. 1648.
6. Bernhard, Fustus: De curatoribus bonorum. 1648.
7. Newenfeld, Konrad: De bello et pace. 1648.
8. Newenfeld, Konrad: Tiberii principatus confirmatio
di arcana. 1648.
9. Quenstedt, Joh. Andr.: Sepultura veterum. Sive de
antiquis ritibus sepulchralibus, Romanorum, Graecorum,
Iudaeorum et Christianorum. disputatio IV. 1648.
10. Quenstedt, Joh. Andr.: Sepultura veterum. Sive de an-
tiquis ritibus sepulchralibus Romanorum, Graecorum,
Iudaeorum et Christianorum. disputatio VIII.
1648

11. Amstelredam, Joh. Andreas: Sepultura veterum.
Sive de antiquis ritibus sepulchralibus, Romanorum, Graecorum, Judaeorum et Christianorum disputatio VI. 1648
12. Amstelredam, Joh. Andreas: Sepultura veterum.
Sive de antiquis ritibus sepulchralibus, Romanorum, Graecorum, Judaeorum et Christianorum disputatio II. 1648.
13. Amstelredam, Joh. Andreas: Sepultura veterum.
Sive de antiquis ritibus sepulchralibus, Romanorum, Graecorum, Judaeorum et Christianorum disputatio VIII. 1648.
14. Amstelredam, Joh. Andreas: Sepultura veterum.
Sive de antiquis ritibus sepulchralibus, Romanorum, Graecorum, Judaeorum et Christianorum disputatio III. 1648.
15. Amstelredam, Joh. Andreas: Sepultura veterum.
Sive de antiquis ritibus sepulchralibus, Romanorum, Graecorum, Judaeorum et Christianorum disputatio VII. 1648.

- norum, Graecorum, Indaeorum et Christianorum.
 Aस्पतालिस V. 1648.
16. Schaeffer, Konrad Viktor: De pleuritide. 1648.
17. ^{Schreiter} Sperling, Johannes: De capite humano. 1648.
18. Stranch, Augustinus: Possessionem hunc...
 sistit... 1648.
19. Suerus, Gottfried: De pignoratibus et hypothecis
 1648.
20. ^{ab} Wacken, Christophor: De jure sepulturae. 1648.
21. Coschius, ^{Henricus} Henrich: Decades duae quaestionum,
 in jure civili Canonico, Fundali et Saxonico
 maxime controversarum. 1649.
22. Coschius de Pezlinoseg, Henricus: De crimine laesae
 majestatis. 1649.
23. Gramus, Sigismund: De pleuritide. 1649.
24. Ostorman, Joh. Erich: De consultationibus
 veterum. 1649.
25. Pomarius, Samuel: De noctambulibus. 1649.
26. Ritter, Samuel: De appellacionibus. 1649.

27. Schneider, Gottfried: De mundinis. 1649

28. Sbrauch, Augustinus: Theses juridice
famæ materiam publicæ continentes.
1649.

29. Banger, Marcus: Controversiarum Medice.
Miscellaneorum decas V. 1650.

30. ^{Banger, Marcus} Bütknerus, Friedr: ^{De peste} De motu oculis spirali.
1650.

31. ~~Coschius de Pegliorrey, Henricus~~: De tutela 1650.
Banger, Marcus: Controversiarum Medice.
Miscellaneorum Decas IV. 1650.

32. Bütknerus, Friedr: De motu oculis spirali.
1650.

33. Coschius de Pegliorrey, Henricus: De tutela 1650.

34. Coschius de Pegliorrey, Henricus: De testibus 1650.

35. Coschius, Henricus: De donationibus inter
vivos 1650.

36. Coschius, Henricus: De successione legi-
tima earumque jure. 1650.

1650, 86 Holtzmann Below
37. Lederer, Michael: De emptione et vendi-
tione. 1650.

Pomarius, - Oellob 1650.

38. Pomarius, Jeremias: De noctambulis: 1650

39. Reusner, Joachim: De forma feudi: 1650.

40. Reusner, Jeremias: De feloniam. 1650

41. Ritter, Samuel: De contractibus et obliq.

limitas: in genere. 1650

42. Ritter, Samuel: De actionibus. 1650.

43. Schneider, Konr. Victor: De calculo rerum. 1650.

44. Schneider, ^{Gottfried} ~~Gottfried~~: De militari testa -

mento. 1650

45. Strauch, Augustinus: De peste pecoris
1650.

46. Sueros, Gottfried: De dividuo et indi-
viduo. 1650.

47. Sueros, Gottfried: De crimine majestatis
humanae. 1650.

48. Sueros, Gottfried: Delicta privata. . .
placidat. . . disquisitioni sistit. - 1650.

49. Wendeler, Michael: De magistratura com-
muni, et in specie de quaestore, Judice et
Censore. 1650.

Vale!

50. Wendelin; Michael: De Aulco. 1680.







37.

1848

2
2

D, O, M, A,
Controversiarum Medico-
Miscellancarum
DECAS SECUNDA

Quam

SUB PRÆSIDIO
RECTORIS MAGNIFICI
DN. MARCI BANZERI AU-
GUSTANI, Med. Doct. & Prof. Publ. Facult.,
Senior, & p, t, DECANI Spectabilis,
DN, Hospitis, Patroni ac Promotoris sui reve-
renter & submissè colendi,

propugnare studebit

M. GEORGIUS LOTHUS
REGIOMONTANUS.

Disputabitur in Auditor. Medicor.
Ad diem April. hor. Mat.

WITTEBERGÆ,
Typis JOHANNIS ROHNERI, Acad. Typogr.
Anno M DC XLVIII.



V I R O

AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO ET EX-
CELLENTISSIMO,

DN. AUGUSTINO STRAU-

CHIO J. U. D. & PP. celeberrimo, Curiaë


Provincialis, Consistorii Ecclesiastici, ac Scabina-
tus Electoralis Saxon. Assessori gra-
visimo,

DN. Patrono, Promotori & Fautori suo
*singularis reverentia cultu ac acem ve-
nerando,*

Controversias has Medico-Miscellaneas

submisit offerre

M. Georgius Lothus Re-
giomontanus.



CUM DEO!

Θέσις I.

Species odoris semper vehiculo Corporeo indiget.

Ἀποδείξις.

Species odoris non esse substantias, nec quicquam corporeum, odoratumque; nihil corporei, neque realem qualitatem, sed ejus tantum speciem percipere, ultrò concedimus. Siquidem & reliqui sensus non substantias, sed eorum accidentia solummodo apprehendunt nullusque sensus per qualitatem realem seu materialem, sed tantum ejus speciem seu qualitatem spiritualem, & intentionalem, ut vocant, afficitur. Interim statuimus, odoris speciem, quæ propriè ab odoratu sentitur, semper cum aliquo subjecto corporeo, vel vapore aut exhalatione à re odoratâ procedente, esse conjunctam, cujus beneficio ad olfactus organum deferatur, neque nobis vero simile videtur odorum tantum speciem absque substantiâ per aërem aut aquam diffundi, multiplicarique. Nostraque sententia cum rationibus, tum ipsorum sensuum testimonio multipliciter comprobari potest. 1. Ablatâ re odoratâ manet odor sæpè sauis longo tempore in aëre, quod certè per speciem solum fieri non potest: Siquidem hæ non subsistunt citra præsentiam objecti. 2. Quia subjectum odoris à vento hinc inde per aërem dispellitur. Hinc venatores feras capturi sedulò operam dant, ut ipsi adversum, hæ verò aversum ventum habeant. Quod si verò odor qualitas solum absque materia esset, à vento ullam in partem moveri nequiret. Hinc ventus nihil impedit, modò aër clarus sit, quo mius cuncta cernamus, atque si nullus spiraret. Frustra autem hinc, sonum nobis quis objecerit.

A 2

Siqui-

Siquidem is non est talis qualitas, sed aëris quædam percussio. Quare cum aëre moto necesse est ipsum moveri etiam, (suo tamen modo) quod tamen in odore locum minimè habet. 3. Tempore nubilo, pluvioso, hyberno, aut rebus odoratis madentibus minus ipsarum percipiuntur odores. 4. Odorabilia calefacta, attrita ut plurimum magis odorem fundunt: Imò quædam non nisi incensa id faciunt seu præstant. 5. Quod quid magis bituminosum aut sulphureum, eò magis odoratum. Hinc etiam odore fragrantia plerumq; calida. 6. Proinde vel exactè odorari cupientes vaporem odoris in nares inspirando attrahunt. Et quidam hanc ob causam odoratum citra respirationem fieri non posse contendunt. 7. Deniq; videmus rerum odoratarum exhalationes variè cerebrum afficere & *καθηλαπιας* quandoq; excitare, ut est apud Hippocratem 5. Aph. 28. Imò sæpe ab exhalationibus ejusmodi odoratis nares, oculi, facies quasi roduntur & dolore afficiuntur. 8. Postremò res odoratas plurimas paulatim imminui ac tabescere cernimus. Quod si verò à plerisq; odoratis exhalatio quædam corporea prodit, ut rationes allatæ satis manifestò probant, quid ni id fiat in omnibus, cum nulla causa detur sufficiens, quæ aliter statuere, aut contrarium nos asserere cogat.

Θέσις II.

Causa doloris duplex; Et Alteratio, & Continui solutio.

Ἀπόδειξις

Et si secundum quosdam non unius numero, sed etiam specie effectus, unica sit causa proxima: Nihilominus tamen duplicem esse causam doloris haud nullis rationibus adstrui posse videtur. Et licet problema hoc tanquam paradoxon plures quam ante 30. annos etiam, cum pro Laureâ Doctoreâ obtinendâ publicè disputarem, defendendum susceperimus: Libet tamen idem hîc repetere, & in præsentî συζητήσῃ denuò proponere. Rationes quæ me in hanc pertrahunt sententiam sunt sequentes potissimùm: 1. Quia, quicquid repentè

ac vio-

ac violenter partem sensilem alterare ac violare potest, id causa doloris. Atqui hoc non modò continui solutio, verum & alteratio vehementior ac subitò ingruens præstare potis est. E. Cui namq; competit definitio, eidem & definitum. II. Præterea qualitates primæ sunt tactus sensibile proprium: Et omne proprium tactus objectum immoderatum & subitò ingruens, dolorem inferre aptum est. III. Insuper tactus instrumenti integritas non solùm in unitate, sed & debitâ temperamenti proportionem consistit. Quamobrem quicquid horum alterum affatim & subitò oblædit, dolorem simul infligit. IV. Ipse etiam sensus & ratio doloris idem convincit. Alium namq; dolorem à calore seu frigore excedente & violento, alium à continui solutione percipimus. Imò quandoq; tantùm alterationem sentimus. Nonnunquam etiam nullo ferè continui solutionis vestigio adparente, exquisitissimus tamen dolor contingit, veluti in arthritide, dolore item illo ad unguis radices post refrigerationem à nivis aut glaciæ tractatione & subitâ manuum calefactione causato. V. Contrariorum quin etiam eadem ratio. Atqui si conveniens alteratio voluptatem, v.g. dum manus æstate ob ambientem nimis calentes frigidâ lavamus; quidni & alteratio immodica ac subitanea dolorem inferre queat? VI. Deniq; & doloris curatio quæ fit vel per alterantia, & partem dolentem ad justam temperiem reducendo: vel per agglutinantia, & partem divisam ad unitatem promovendo perficitur, idem demonstrat. Proinde etiam venerandus senex Hippocrates scriptum reliquit: His quibus alteratur & corrumpitur natura dolores fiunt. Cui & Galenus de inæquali intemp. assentitur, scribens: Alteratur autē atq; corrumpitur cujusq; natura cum vel calefit, vel frige fit, vel siccescit, vel humescit, vel ejus unitas dissolvitur.

Θέσις III.

Uterus loco suo dimoveri nequit.

Ἀπόδειξις.

Etsi utero motus quidam denegandus non sit, isq; naturalis qui fit beneficio fibrarum, quibus se ad varios usus dilata-

A 3

rat ac

at ac constringit: tamen motus localis, quo instar animalis in corpore oberrare, aut ad ventriculū, vel hepar imò diaphragma usq; ascendere à quibusdam dicitur, ipsi nullo modo competere videtur. Licet namq; ipsum fundum uteri ab omni connexionē liberum sit, tamen ad latera uterus quatuor validis ligamentis in suā sede ita firmatur, ut ad umbilicum usq; pertingere haud possit, imò supra os sacrum vix elevari queat. Quod etiam planissimè comprobatur connexio uteri seu ejus cervicis cum intestino recto & pudendo. Si enim uterus tam altè, ut quidam Medici & Philosophi, cum Veteres tum Recentiores famigeratissimi, volunt, ascenderet, illud citra vinculorum, quibus uterus ligatur, aliisque partibus necitur, summam tensionem convulsionem imò abruptionem, & hinc dolorem insignem, uteri prolapsum aliaq; gravissima symptomata contingere non posset. Qualia tamen in fæminis uteri ascensu vulgo dicto laborantibus observare haud licet.

Θέσις IV.

Inter aquæ species pluvialis tanquam omnium optima, saluberrima & tutissima simpliciter non pronuntianda.

Ἀποδείξις.

Quia plerumq; impura & variis inquinamentis infecta, id quod odor, sapor & color alienus plerūq; edocet. Vel enim variis & noxiis ex terrâ vaporibus à Sole prolectis inficitur; vel sordes ex tegulis quas eluit, aut canalibus quos transit, contrahit, vel in cisternis nō sat mundis aut affabrè cōstructis, imprimis diu & immobilis aquæ paludosæ & stagnantis instar asservata, vitium acquirit. Hinc quoq; aqua ab Æthere decussa citò degenerare & putrescere dicitur. Proinde etiam Hipp. l. d. aère, aquâ &c. licet aliàs aquas pluviales optimas judicaverit, decoquere tamen atq; excolare easdem ante usum jussit. Alioquin enim facilè ob tenuitatem putrescere, & odorem prævum habere, (quod ex plurimis sint congregatæ ac permixtæ) imò & raucedinem vocisq; gravitatem bibentibus afferre conceptis

ceptis affirmat verbis. Imprimis verò quæ Jove tonante delap-
sa, quicquid etiam Hippoc. & alii quidam hac in parte senti-
ant, minus pura & vitio carens videtur. Hinc dicunt, illam
nunquam ad nativam redire frigiditatem, sed tepidam velut
empyremate contracto manere. Imò illam ipsam pedicu-
lorum proventum procreare quidam asserunt. Maximè ferè
omnium noxia est, quæ ex depletâ nube, splendente Sole de-
cidere solet, nostròq; idiomate Μησταύ / Ros farinaceus, quia
farinæ instar plantis insidere conspicitur, vocatur. Siquidem
hæc pluvia vel ejusmodi stillæ ex vapore crudo, vitioso & cor-
rupto generantur, & ob admixta heterogenea in virus abe-
unt, proinde etiam fatis & plantis atq; pecoribus summe no-
xiæ existunt. Calor namq; illarum urens, non modò terrâ
nascentibus rubiginem & tabem adfert: Sed & pecoribus
dulcedine illarum allectis sanguinem inflammando febrilem
æstum, biliosas dejectiones, linguæ scabritiem &c. quem af-
fectum ὑβεργᾶσις veterinarii vocare solent, causant. Interim
pluvia horæa seu temporaria astate mediâ citra tempestatem
& æthere placato de fluens satis salubrem aquam suppeditare
videtur. Siquidem hæc maximè extenuata ac ab æris calore
elaborata, minusq; impura, aut ab adulterinis infecta. Im-
probare nolim etiam pluviam illam (ni ros subintelligendus
venit) Majo collectam cuius meminit Forest. l. 10. observ.
22. his verbis: Multi vinum temperant aquâ pluvîâ in Majo
collectâ, talis incorrupta in unum atq; alterum annum durat,
mirè sçavis, amabilis, & siticulosus vel ex æstu, vel ex labore,
vel ex febribus res supra modum voluptuosa; Colligitur sub
dio vase stanneo, libero delapsu, & ita pura in hydriis condi-
tur ac usui servatur. Verum tales aquæ seu pluvîæ ad usum
communem & familiarem haud sufficienter suppetunt.

Ἠέσις V.

Arsenici usus internus haud tutus.

Ἀπόδειξις.

Non de sunt cum Veterum tum Recentiorum quidam,
qui Arsenicum non solum suffitibus asthmaticorum, phthisi-
corum

corum & tusſientium, verum & eorundem medicamentis aliis intra corpus exhibendis, admiscere non sunt veriti. Ita enim Diosc. l. 5. c. 81. de Sandaracha (quæ ejusdem Diosc. testimonio, non modo loco natali, sed & dotibus seu viribus cum arsenico convenit) inter alia scriptum reliquit : Datur ex mulso purulenta extusſientibus, suffitur quoq; cum resinâ adversus veterem tusſim, raptò per fistulam nidore ; vocem expedit cum melle delincta : suspiriosis cum resina in catapotio optimè datur. Hæc Mauritanii ex ipso mutuati, non solum in historiâ Arsenici & sandarachæ, ut Serap. *Aggreg part. 2. c. 371. Avic. l. 2. tr. 2. c. 49.* talia referunt, sed & in cura Asthmatis, ut inter alios apud Avic. *lib. 3. Fen. 10. tr. 1. c. 40.* nec non Mes. *l. 2. d. agr. pect. & pulm. sum. 2. c. 1.* videre est, repetunt. Avic. quoq; Arsenicum lacte asinino in curâ icteritiæ citrinæ *l. 3. Fen. 15. tr. 1. c. 6.* propinare non dubitat. Et Nic. Myrepsus Antidoto Persicæ *Num. 293.* & aliæ Musa dictæ *Num. 303.* idem nimis temerariè immiscet. Inter Recentiores hos secutus, ut unum atq; alterum tantum, brevitatis studio, adferamus, Hier. Fracastorius *lib. 3. de curat. morb. contag. c. 8.* de curatione phthiſeos per contagium contractæ inter alia hæc habet : Potes tamen per aliqua quæ proxima sunt urentibus curationem moliri. Quod video & Antiquorum nonnullos ausos fuisse, jubentes sandarachæ nidorem per anhelitum in pulmones trahi. Quum autem sandaracham dico, non eam intelligi volo, quæ Verniz vulgò vocatur sed quæ auripigmentum nobis, dicitur. Porrò nec per auripigmentum velim à te accipi priorem illam speciem, quæ citrina est, sed alteram quæ est rufa, & propriè sandaracha vocatur. Hujus ergò suffitu si utaris, non parum proderis tantæ contagi : Hactenus Fracastorius. Apud Lang. *3. Ep. c. 7.* ita legere est : Georgius Wirth Ludovici Ungariæ Regis Medicus in asthmatis & orthopnœæ desperatis casibus ex diajris Unc. j arsenici pulverisati Unc. ꝑ succi urticæ Luc. ij cum melle rosato colato quantum opus erat electuarium parare, & quantitate avellanæ exhibere in more habuit. Neq; hic error, ut & hoc obiter moneamus, exinde manavit, ut quidam autumant, quod Arabum interpretes

pretes pro Sandarace Arabum, id est, Vernice seu gummi juniperino medicamento innoxio siccante & adstringente, sandaracham Græcorum, id est, Arsenicum, pharmacum erodens, putrefaciens, & summè venenatum, nominis affinitate seducti, in curâ asthmatis subposuerint: siquidem falsitas hujus opinionis ex dictis, quod & Fuchsius, *Instit. sect. 1. cap. 11.* rectè observavit, clarè patet. Verum quicumq; Arsenici naturam venenatam & deleteriam in memoriam sibi revocaverit, is non facilè horum aut similium Autorum curandi methodum hac in parte imitabitur, neq; vel substantiam, vel fumum ejus (cum ne halius quidem qui ex trito spirat, innoxius sit) intra corpus admitter. Quantum enim & hic noxæ adferre queat, Chymici & alii qui arsenicum frequenter tractant, magno suo malo sæpissimè experiuntur. Et funestæ historiæ eorum qui ex usu arsenici perierè, de ejusdem noxæ & venenositate satis testantur. Hinc etiam Galenus 9. simpl. in historiâ arsenici & sandarachæ interni usus non meminit. Neq; contrariæ opinionis Autores excusat, quod nostrum arsenicum crystallinum dictum, cujus usus maximè hodierno tempore in Medicina, artificiale sit minusq; noxium atq; Galeno aliisq; veteribus haud innotuisse credatur. Siquidem & nostratis Arsenici venenositas nulli non nota. Ut ut Gramanus jactare non dubitaverit, se ita corrigere nosse arsenicum, ut sat magnam ejus quantitatem citra noxam vorare possit. Malumus enim ei hac in parte fidem adhibere, quàm veritatem ipsimet experiri.

Θέσις VI.

Medicamenta adstringentia foris capiti ad fluxiones cohibendas minus rectè adhibentur.

Ἀποδείξις.

Quidam in ea sunt opinione se valdè adstringentibus pulveribus, linimentis aut emplastris capiti exterius adplicatis materiam noxiam & fluxilem in capite contentam posse

B

suspensio

suspensam tenere ne deorsum ruat, hicq; varia mala excitet. Sed hi haud parum falluntur, & dum prodesse student, potius nocent. Præterquam enim quod quævis pharmaca exterius adhibita ob cutis & præsertim cranii soliditatem ac densitatem parum proficiant: tamen hoc in casu adstringentia potissimum minus efficaciter, convenienter aut utiliter usurpantur. Siquidem condensando & occludendo suâ adstrictione poros sibi metipsis tum viam ad agendum præcludunt, tum materiæ discussionem prohibent, tum etiam, diuturniori præsertim usu ipsum nonnihil cerebrum constringendo materiam in partes subiectas potius exprimunt, quàm quod retineant aut avertant.

Θέσις VII.

Leniendo & alvum lubricando purgantia pharmaca inter passum aut paulò ante vel post haud rectè exhibentur.

Απόδειξις.

Et si non desint Medici qui electivè purgantia & cathartica fortiora etiam cibus admisceant, ut ita ægrorum palato inserviant, & feliciorum, si Diis placet, purgationem instituant: tamen cum à plerisq; hæc sententia improbetur, eam jam non in controversiam vocabimus. Interim hoc quærimus num etiam benigna & lenientia pharmaca, ut Cassia, Manna, Aloë & ex his composita pharmaca, sirup. item rosar. vel violar. laxativus, vina medicata & purgantia atq; alia similia cum cibo vel paulò ante rectè propinentur, & hoc est quod negamus, cum eadem ferè ex horum quam fortiorum cathartorum hujusmodi usu incommoda sequantur, & proinde satius sit illa paulò liberaliori manu ne effectu suo frustrentur, exhibere. Quia talia cum per se imbecillioris sint operationis, facilè ipsorum effectus à cibus retardari, obtundi aut planè cohiberi potest. Cibus item à medicamentis inquinatur, corrumpitur, ejus coctio impeditur, crudusq; atq; inconcoctus ante tempus justum à stimulante medicamento

mento expellitur. Hinc talia pharmaca inter cibandum vel paulò ante exhibita creduntur felicius & efficacius purgare quam longè ante pastum propinata. Quod tamen alia ratione fieri non puto, quam quod cibum simul assumptum & corruptum sub specie excrementorum educant. Præterea hoc in casu metus est ne excrementa quædam cibo admista in hepate & venas distribuantur, aut etiam cibus non probè coctus aut corruptus in iis aliquid mali procreet. Hanc ob causam etiam juxta præscriptum Hippoc. Galeni, Pauli, Avic. & aliorum medicamenta purgantia jejuno stomacho assumenda cum addita cautione ne quicquam comedatur vel bibatur donec operatio sit perfecta. Interim cathartica cum jusculo non tam nutritionis quàm svavitatis, correctionis alteriusvè similis causæ gratia quandoq; exhiberi posse non negamus. Ita etiam purgatione ferè expedità lavativum & detergentem cibum medicamentosum exhibere haud est inconveniens. Sic quoq; viribus à cathartico assumpto labascentibus refectio- nis gratiâ aliquid cibi degustare à ratione haud alienum.

Θέσις VIII.

**Sanguinis humani in Epilepsia usus est vanus,
noxius & nefarius,**

Απόδειξις.

Inutilem sanguinis humani contra Epilepsiam usum esse exindè probari potest, quia nulla ratio aut causa vel manifesta, vel occulta dari potest, qui cum ille hunc morbum curare queat. Idem etiam experientia confirmat, cum potius incommodum & detrimentum, quam commodum, ut in sequentibus patebit, usurpationem abominandi hujus pharmaci consequatur. Nondum enim quenquam videre aut audire licuit, qui detestando hoc remedii genere adjutus fuerit. Licet jugulati gladiatoris calido sanguine epoto tali se morbo quosdam liberasse, & sic miserum auxilium, tolerabile miserius malum fecisse Celsus l. 3. c. 23. scribat. Verum

B 2

fides

hides autorem apellet. Interim fieri potest ut talia Deo per-
mittente, diaboli ope interveniente contingant, ut ita homines
superstitiosi ad crudelitatem & caedes perpetrandas invitentur
ac instigentur. Quasi verò interim sanitas videri possit,
feram ex homine fieri. Imò potius è contrario damnosus &
periculosus est hic Epilepsiam curandi mos. Siquidem nul-
lus animalis sanguis adhuc calens sine incommodo bibitur.
Et ut de aliis jam nihil dicam, refert Jul. Capitolinus de Mar-
ci Antonii Philosophi Imperatoris uxore Faustina quæ occi-
si gladiatoris sanguine hausto Antonium postmodum homi-
nem crudelem & gladiatorio animo ac temeritate præditum
peperit. Ita Langius 1. Epist. 71. meminit cujusdam latronis,
qui cum filio suo ad pusillanimitatem excutiendam sangvi-
nem humanam degustandum præbuisset, eundem postmo-
tanquam dæmonis æstro percitum ad quavis flagitia perpe-
tranda audacissimum factum. Zacutus Lusitanus narrat,
juvenem quendam inimico suo insidiosè inter potandum ob-
trusisse poculum vini cum sang. humani Unc. ij ex homine
ruffo venæsectione emissi. Quod cum ille incautus exhau-
sisset, post triduum delira loqui cepit, & in perpetuum fatu-
us remansit, nec ullo remediorum genere curari potuit. De-
niq; & detestanda hæc curandi ratio cum ab Ethnicis, imò ca-
codæmone ipso everfore juris humani, & sanguinis humani
effusione delectante inventa ac introducta sit. Tertullianus
namq; in suo Apologet. item Plinius 28. *hystor. natural. c. 1.* &
Celsus l. 3. c. 28. inter alios referunt, apud Romanos usitatum
fuisse, ut jugulatorum gladiatorum sanguinem recentem de
jugulo decurrentem, calidum & spirantem adhuc Epileptici
haurirent. Proinde haud præter rationem adeò sæpè & se-
verè Deus populo suo sanguinis esum interdixit. Mirum igitur
certè est, nos, qui Christi nomine gaudemus, talia piacula
medicamenti loco in usum trahere, à quibus etiam ipsi Eth-
nici paulò cordatiores abhorruère. Ego namq; ipse semel
atq; iterum, licet non sine horrore & abominatione capite ob-
facinora truncatorum sanguinem calentem ab Epilepticis ex-
cipi &

cipi & bibi, vidi. Ex dictis etiam facile patet, quid
tâ sanguinis Essentiâ vulgò dictâ, de quâ quidam tanta mira-
cula, licet falsò, jactitant, sentiendum sit. De sanguinis mu-
liebris per menstruas periodos effluentis exhibitione horret
animus quicquam scribere, quamvis nec hîc exempla desint.

Θέσις IX.

Amuleta venenata contra pestem haud satis certa, efficacia aut tuta,

Ἀπόδειξις

Qua ratione amuleta ex Arsenico, mercurio subl. hy-
drargyro, pulvere bufonum & similibus toxicis & deleteriis
parata pharmaca & cordis regioni foris adpensa, aut sub a-
xillis gestata, manuumve arteriis adplicata, vel in præserva-
tione vel curatione pestis prodesse queant, incertum plane ac
dubium. Hinc etiam ipsi autores, qui talia plenis buccis
deprædicant, hujus rei dissentientes, dubias ac infirmas pla-
ne rationes adferunt. Controversum namq; planè est num
sympathia vel antipathia; num siccando, attrahendo vel pel-
lendo pestilens venenum, vel cor contrahendo, vel idem ad ve-
nenum asvesfaciendo, vel aliter operando prosint. Neq; cer-
tò constat quodvis contagiosum pestilensve seminarium arse-
nico aut reliquis venenatis, in peste usurpari solitis aut simile
aut contrarium esse, ut nec omne venenum omni veneno
adversum aut amicum. Imò Zenexta talia plerumq; ex plu-
ribus & variis inter se mixtis sunt composita, quæ sese invi-
cem oppugnare, alterumq; alterius vim infringere facile que-
ant. Imò fieri potest ut alterum horum amicitiam & simili-
tudinem, alterum verò dissimilitudinem & inimicitiam cum
pestilenti veneno gerat. In venenis namq; totâ substantiâ
pugnantibus, methodus non est, docente Galeno 13. Meth. c. 6.
Medicus etenim non potest nisi ab eventu cognoscere cuinam
veneno arsenicū v.g. contrarium futurum sit. In abdito siquidē
ultima latent differentia. Præterea etsi reperiantur, qui jurati
asserant

B 3

asserant

asserant in pestilenti quandoq; constitutione nullos hoc veneno infectos, qui ejusmodi amuleta gestarint. Tamen è contrario non desunt etiam qui planè contrarium experti. Herc. Saxon. & Cornel. Gemma certè referunt, Hieron. Capiuacc. in pestilentia Patavinâ citra omnem ferè effectum talia multis adhibuisse. Vidi, inquit Joh. Bapt. Helmont. in *Tum. pest.* p. 145. in castris Ostendanis ad littus multa virorum millia cum ejusmodi Zenexon peste sublata. Imò & qui per quin denas, à singulas sibi costas vesicabant per arsenici trochiscos byssinis peris inclusos. Plurium Autorum testimonia adducere brevitati studentes super sedemus. Insuper nec satis tuta sunt talia amuleta, quia si similitudine substantiæ, attrahendo videlicet venenum pestiferum, ut plurimi volunt, agant, facile ex ambiente virus ad cordis regionem attractum eidem communicare possunt. Imò ipsa amuleta ob suos halitus venenatos facile, si præsettum incallescant, (quicquid etiam Schnizerus in cista Med. Ep. 17. sentiat, sudorem videlicet non obstare, imò arsenici vim in attrahendo pestilente veneno promoverè) cordi noxam, & sic periculum vitæ inferre queunt. Ut jam nihil dicam, appensa illa pharmaca suam vim exserere haud posse nisi prius incallescant, atq; sic in actum deducantur. Quanto autem hoc cum vitæ periculo fiat exempla sequentia docent. Ita enim Joh. Crato. 1. Ep. 7. ad P. Monavium. Etsi sexcentos autores qui idem fecerint (loquitur de usu horum amuletorum) commemorares, mihi non persuadebis. Ac cum tantoperè me urgeas, narro tibi verè Creckovium ita ex eo debilitatum, atq; in pectore exulceratum fuisse ut cum magnâ indignatione sacculum abjecerit. Possem alios recensere. Ger. Columb. d. febr. pestil. l. 2. c. 17. ita scriptum reliquit: Observatum est arsenicum apportantes motu excafactos in syncopen incidisse & in sæva alia symptomata, quæ non nisi amoto sacculo illo cessauerint. Alii quanquam non statim, certè post aliquod tempus noxam ejus perceperunt in febres malignas ac pestilentes mortemq; incidentes. Nec defuit qui ob lusum pilæ vehementer

vehementi agitatione corporis excandescens arsenicum por-
rans, mortuus derepentè conciderit, ut Fran. Alphanus Med.
Salern. & alii fide digni testati sunt. Demum quid talia ad
regionem cordis sub tot tegumentis latitantia ad arcendum
vel attrahendum aërem pestilentem prodesse queant, non vi-
deo. Potius talia ori aut naribus, si tutò id facere liceret, ad-
movenda, aut magna copia præ fenestris & foribus suspen-
denda essent, ut ita aëris venenati in corpus aut domum in-
gressum excluderent. Postremò inefficacia quoq; talia &
noxia in pestis curatione existere inde concludi potest; Quia
invenient in corpore venenum vel sibi contrarium, vel si-
mile vel diversum. Si diversum, duo venena diversa sese
non periment, interim utraq; simul in perniciem ægri con-
spirabunt. Si verò inveniant simile, vehementius quoq; no-
cebunt. Ubi namq; seminaria contagionis erunt potentio-
ra quam periapta, illa hæc ad se trahent & simul ad cor defe-
rent. Si verò amuletum erit fortius & ita seminaria pestis,
juxta amuletorum defensores ad se trahat, ægrum tamen à
peste haud liberabit. Calore siquidem febrili ægrotantis in-
censum suam vim deleteriam cõrdi communicabit & simul
contagionis inquinamentum eò deducet. Deniquè si pestis
seminarium periammati erit contrarium, pugnabunt quidem
invicem, poteritq; utrumq; venenum mutua colluctatione
commori & quandoq; fieri, ut homo ita ex accidenti super-
stes maneat & liberetur: interim tamen periculosum & dubi-
um tale remedium Medicus Christianus & Philosophus sen-
satus qui consulere queat, non video. Præstat ergò fidis, tu-
tis & probatis alexipharmacis hostem hunc generis humani
infensissimum more Majorum oppugnare. Interim si cre-
dulis quis minus noxia appendere velit, non repugnamus.
Ut habeat animus cui fidat, cum terrenis anima terrestri er-
gastulo inclusa nimium gaudeat, ut civis mei Doct. Hœch-
stetteri verbis theorema hoc tandem claudam.


Θεωρις X.

Θέσις X.

Phlebotomia in fine curationis luis venereæ non instituenda.

Imperitum chirurgorum vulgus non solum indifferenter, licet ἀμεθόδως planè, omnibus lue venerea laborantibus in principio curationis venam secare; verum & in fine ejusdem idem remedium ἀμεθοδικότητος repetere solet. Hac ratione num quid reliquarum in corpore à morbo supersit expiscari volens. Hoc postremum etiam quidem Medici celeberrimi & doctissimi, quod mirari subit, licet aliam ob intentionem, imitantur. Hi namq; corporis ventilationem & refrigerationem se hoc facto procurare ajunt. Verum quam sit hoc in methodum & leges artis nostræ peccare, quam præpostero modo curare, universalia videlicet & magna remedia in fine medicationis, imò medicatione jam absolutâ, adhibere, quis non videt? Quam noxium & damnosum sit, agris vi & diuturnitate morbi, item diætâ tenui, validissimisq; medicamentis quæ hic omnia plerumq; concurrere solent, excarnificatis, emaciatis & debilitatis in tantâ sanguinis penuriâ, reliquum quod superest hoc modo quasi exhaurire velle, quis non animadvertit?

Τῷ Θεῷ μόνῳ δόξα.



ULB Halle
002 684 632


3



Vd 17







1648
2
2

37.
D, O, M, A,
Controversiarum Medico-
Miscellancarum
DECAS SECUNDA

Quam
SUB PRÆSIDIO
RECTORIS MAGNIFICI
DN. MARCI BANZERI AU-
GUSTANI, Med. Doct. & Prof. Publ. Facult.
Senior, & p. t. DECANI Spectabilis,
DN, Hospitis, Patroni ac Promotoris sui reve-
renter & submissè colendi,

propugnare studebit
M. GEORGIUS LOTHUS
REGIOMONTANUS.

Disputabitur in Auditor. Medicor.
Ad diem April. hor. Mat.

WITTEBERGÆ,
Typis JOHANNIS ROHNERI, Acad. Typogr.
Anno M DC XLVIII.

